

*Erben des verstorbenen Grafen des Schutzes und der Hilfe des Apostolischen Stuhles.*

*Lyon, 1245 August 23*

*Hss.: Original, Marseille, Archives départementales des Bouches-du-Rhône (B 339), nach Auskunft des Archivs z. Zt. nicht auffindbar; Bleibulle an Hanfschnur (vgl. auch Schedario Baumgarten I (1965) 1599); in Plica rechts: Math. (= Matheus de Babuco, vgl. Schedario Baumgarten IV (1986) S. 602). Abschr. des Kanonikus Albanès (18. Jh.) aus dem Original, ebda., (26 F 41 p. 319).*

*Regg.: L. Wursterberger, Peter der Zweite, Graf von Savoyen, IV: Urkunden (1858) S. 103, Nr. 185; P. 11 831.*

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecte in Christo filie nobili mulieri...comitisse Provincie salutem et apostolicam benedictionem.

Obitus clare memorie...comitis Provincie viri tui nobis nuperrime nuntiatus amaritudinem et dolorem cordi nostro vehementem advexit et viscera nostra gravi perturbatione commovit, quia nos et apostolica sedes eum inter totius nobiles orbis terre specialiter gerebamus in visceribus caritatis, et idem erga nos et Romanam ecclesiam matrem suam affectionem habebat et zelum reverentie filialis. Credimus etiam et pro certo tenemus, quod et tu propter hoc non levi mestitia perturbata eo acerbius affligeris tribulationis aculeis, quo per amissionem ipsius, qui pars corporis tui erat, sentis propinquius vim doloris. Ceterum, quia pernecessarium esse dinoscitur, ut in communi periculo ad commune remedium recurratur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente paterne tibi affectionis diligentia consulentes, quatinus humane nature conditionem considerans, ut discreta, quodque in casu mortis proprio non pepercit filio suo Deus, super instantis adversitatis articulo consilium consolationis assumas et te laudabiliter miserata tuis finem fletibus iam imponas. Ex eo maxime, quod dictus comes in matris ecclesie devotione sicut vir catholicus obiit et, sicut pro certo didicimus, omnia sacramenta ecclesiastica proprie salutis fervore succensus in extremis laborando recepit. Quia vero nostre intentionis existit te ac heredes comitis prelibati apostolice sedis presidio confovere ac in tuis et eorum oportunitatibus universis tibi et ipsis favore paterne benignitatis adesse in omnibus, que ad conservandum statum tuum et predictorum heredum spectare noscuntur, ad nostrum recurras subsidium incunctanter, quotiens videris expedire. Datum Lugduni X Kalendas Septembris pontificatus nostri anno tertio.